



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 25. Aliæ ejusdem Pontificis Constitutiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. A. C. 1658. valore iatis abunde constare cognitum erat, Alexander VII. illum ab Universali Ecclesia pro Sancto agnoscendum declaravit, ejusque festum & Officium sub ritu, ut vocant, duplici secunda classis cum octava Academiæ Complutensi, in qua Theologiæ Professores egit, ibidemque Collegium erexit, recitari indulgit. Subscribere huic Constitutioni Pontificiæ Cardinales tum Romæ agentes numero triginta tres necessarios vero sumptus pro festiva hac solemnitate ex Valentini Regno, ubi S. Thomas Archiepiscopum egit, Philippus IV. Rex suppeditavit.

## §. XXV.

*Alicæ ejusdem Pontificis Constitutiones.*

*Bull. l. c.* **P**ræter hoc decretum Alexander VII. Pontifex plures adhuc edidit Constitutiones, ac primo quidem, cum ad ejus aures fuisset delatum, quod Goensium necnon in adjacentibus Insulis inter clericos & præcipue eos, penes quos Christifidelium cura & regimen erat, quædam irrepsissent corruptelæ, hinc Sacræ Congregationi de propaganda Fide querelas a Goensibus delatas sedulo examinandas commisit, ac postmodum sequentia ejusdem decreta ex-  
acte

acte observari præcepit. I. Pauperes Sæc. XVII. A.C. 1658.  
 ad operas in Ecclesiis impendendas Pa-  
 rochi sine justa mercede non cogant.  
 II. Non nisi contumaces ad Catechesin  
 pœnis, iisque moderatis compellant.  
 III. Populum, præcipue mulieres, No-  
 biles, seu ætate provectos ferula, vel  
 verbis indecentibus non castigent. IV.  
 Ad Seminaria etiam Nobiles. V. Et  
 nullo habito discrimine etiam Pauperes  
 ad scientias addiscendas admittant.  
 VI. Regulares ab Ordinis habitu Neo-  
 phytos non excludant. VII. Presby-  
 teri sæculares a cura animarum & con-  
 fessionibus excipiendis non arceantur.  
 VIII. Ecclesiastici non se immisceant  
 Regimini politico, ceteris tamen aptior  
 comitiis intersit. IX. Regulares sæ-  
 pius idiomate vernaculo concionentur,  
 & Sæculares in Dei Verbi prædica-  
 tione exercentur. X. Duntaxat ii,  
 qui idiomatis gnari sunt, confessiones  
 excipiant, non autem per interpretem,  
 vel perlecto pœnitenti peccatorum ca-  
 talogo. XI. Nullus sub prætextu igno-  
 bilitatis vel rudioris ingenii, nisi pror-  
 sus hujus mysterii incapax sit, a S.  
 Synaxi arceatur. XII. Omnibus ægro-  
 tis morti proximis, etsi in vilissimo tu-  
 gurio degant, S. Viaticum porrigatur.  
 XIII. Nullum ad Baptisma admittant,  
 nisi a gentilitatis institutis plene recesserit,

Sæc. XVII. rit, & in fide rite institutus sit. XIV.  
A. C. 1658. Non vi, sed Dei Verbo gentiles ad  
 dem pertrahant. XV, A suis Paro-  
 chianis nullum quæstum quærant.  
 XVI. Reditus Confraternitatum deo-  
 ceptæ sæculares procurent, XVII. Pa-  
 peres gratis sepeliant Parochi. XVIII.  
 Ethnici in Ecclesiis sacrificare non pe-  
 mittantur, hisque Templis Neoplyti  
 non præficientur. XIX. Regulares  
 Superiores quandoque suos subditos  
 ad claustra revocent, ut innovato Re-  
 gularis disciplinæ studio aliis exemplo  
 esse possint. Præter hæc decreta Pon-  
 tificis die vigesimo quarto Septembris  
 sub excommunicationis pœna prohibe-  
 buit, ne libri & scripturæ ex Archivis  
 & Bibliotheca Canonorum Regni  
 Lusitanorum extrahantur, de-  
 claravit quoque die decima quinta No-  
 vembris, ut Judæi Romæ pensiones  
 domorum Dominis Christianis solvere  
 teneantur, etiam illo tempore, quæ  
 aliis non fuerunt locatæ.

## §. XXVI.

*Quædam S. Congregationum deci-  
siones.*

*Const. S.*  
*Congr. Rit.*  
*Ep. Conc.* **M**otis subinde dubiis Sacræ Congre-  
 gationes Romanæ hoc item anno  
 varias decisiones ediderant, cumque  
 Moad